



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**

**Ingolstadij, 1726**

Casus XXII. De Societate praxatoria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

usum equi in majus commodum societatis impensum

Dices : si Jacobus pro suo absumpto pabulo nihil potest exigere , tunc non poterit detrahi pabulum , quod equus Bartholomæi domi manentis absumpsisset : ergo falsa sunt , quæ in §. 4. n. 24. decidimus , expensas scilicet domi faciendas debere aut saltem posse subtrahi. R; nos in hac conclus. §. dicere , posse nullum

pretium exigere pro absumpto Jacobo pabulo , si equus fuerit necessarius , plurimum conducibilis , & ( quod bene notandum ) si pro hoc equi usu nulla merces à socio Jacobo ipsi Bartholomæo fuerit persoluta ; nec iste ad impendendum suum equum in bonum societatis ex facta conventionem fuerit obligatus hæc autem circumstantia non dabitur semper in quolibet societate.



## CASUS XXII.

### De Societate Praxatoria.

**S**empronius ex privilegio sibi , aliisque ratione certi officii , quod obibat , concesso , ad communem cassam domus praxatoriæ confert centum florenos , ratione quorum annuatim indeterminati quidam reditus (conferentes subinde etiam 40. florenos ) ex distracta cerevisia ut lucrum comparati , eidem pendendi erant . cum autem praxato Sempronio parata pecunia deesset , syngrapham seu obligationem aliquam loco pecuniarum offert , qua promittit , se post unum vel alterum annum promissos hos centum florenos certo soluturum esse . Interea tamen pro quod unius anni accipit quadraginta florenos , quod scilicet alij accipiunt , qui centum florenos in parata pecunia deposuerunt.

Q. 1. An quadraginta floreni primo anno à Sempronio percepti , ut debitum censuale accipi ac retineri possint?

Q. 2.



Q. 2. Num ut debitum ex Societate cum alijs praxatoria domus consortibus inita proveniens eisdem accipere valeat?

Q. 3. An ex nullo alio titulo?

## SYNOPSIS.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Jus Sempronij ad hanc summam necessariò fundatur in quodam contractu. | 3. Neque contractus mutui.                           |
| 2. Qui tamen non potuit esse gratuitus.                                  | 4. Venditionis, aut emptionis.                       |
|  | 5. Aut locationis, conductionis, Emphyteuseos Feudi. |

### §. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

*An quadraginta floreni primo anno à Sempronio percepti tanquam census accipi possint?*

- |  |  |
|--|--|
| 6. Definitur contractus censualis.                       | 9. Si ex pacto tantomodo illum injustum esse supponamus, pensio poterit quidem accipi, defectus tamen justij pretij supplendus erit. |
| 7. Ratio, ob quam contractus iste possit dici censualis. | 10. Similes annui census injustè emuntur credito.  |
| 8. Injustus tamen, si talis esset, ostenditur.           |  |

### §. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

*An quadraginta floreni taliter percepti tanquam fructus Societatis cum reliquis membris inita accipi ac retineri possint?*

- |   |   |
|---|---|
| 11. Definitur contractus Societatis.                          | 13. Non potuit ex hoc titulo aliquid à Sempronio jure accipi. |
| 12. Et conditiones ad ejusdem valorem necessarij explicantur. | 14. 15. 16. Satisfit objectionibus.                           |
|   | PP 3  |

§. III.



## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*An ex nullo alio titulo retinere hanc partem lucri Sempronius possit?*

17. Potuit ex titulo donationis, si eundem Societas absque metu & coactione in membrum suum receperat.

1 Consideranti naturam hujus casus statim apparebit omne, ac totum illud jus, quod Sempronius ad retinendos quadraginta florenos habere posset, in quodam contractu fundatum esse, quod oblatâ hâc syngraphâ inivertat, indagandum itaque ante omnia erit, cujusnam speciei contractum in hoc casu celebraverit.

2 Perpensis autem singulorum contractuum essentis, contractus, quem celebrâsse in hoc casu videri potest, videtur non posse esse ullus alius, nisi census, aut Societatis: gratuitum enim nequaquam celebravit, eò quòd ex utraque parte vi hujus contractus exorta fuerit obligatio solvendi ex parte scilicet Sempronij suo tempore 100. florenos: ex parte Societatis praxatoriæ certam partem lucri ea dividenda cerevisia comparati.

3 Quòd si contractus onerosos in medium producamus, æquè

facile videbimus, eundem non fuisse mutuuum, quod est danio rei pondere, numero, ac mensura constantis, facta ex animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione tamen, ut alia ejusdem naturæ, ac qualitatis reddatur.

Sed neque emptio, aut venditio dici potest: ad istas enim vi definitionis requiritur pactio pretij dandi pro merce: vel pactio mercis pro pretio danda: ubi ergo nulla merx acquiritur, ibi neque dabitur emptio, aut venditio, atqui hîc non intercedit aliqua merx, quæ est quid à pecunia annuatim persolvenda, & jure ad hanc distinctum.

Æquè clarè ex definitionibus locationis, conductionis, Emphyteuseos, Feudi &c. colligitur, controversum hunc contractum nulli ex istis annumerandum esse. Superest igitur, ut census vel contractum Societatis celebraverit, Sit igitur,



## S. I.

## Resolvitur primum Quæsitum.

An quadraginta floreni primo anno à Sempronio percepti ut debent censuale accipi ac retineri possint?

**6** Censur acceptus pro effectu formalis contractus à Tamburino definitur, quod sit annua pensio, quæ ex re alterius frugifera accipitur: à Bonacina verò *disp. 3. q. 4. puncto unico n. 1.* jus percipiendi certam pensionem ex re alterius frugifera. Quod si ipse formalis contractus census consideretur ab eodem Bonacina dicitur contractus onerosus, quo quis alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super rebus suis, aut super persona.

**7** Ex his non immeritò cuidam videri posset, contractum à Sempronio celebratum fuisse censualem, eò quod centum suis florenis creditò emerit jus percipiendi singulis annis certam pensionem ex re frugifera, scilicet praxatoria domo.

**8** Verùm si dicamus illum contractum censualem fuisse, sequitur eundem fuisse injustum, & consequenter nullum, si non in totum, saltem ex ea parte, qua pensio solvenda pretium excedit juxta Palaum *de just. disp. 6. pu. 22. §. 3. n. 2.* Quod autem aliquis defectus adit facile probamus. justum pretium censetur illud esse, quod lex, vel com-

munis hominum æstimatio, seu judicium prudentum, & proborum virorum habita ratione omnium circumstantiarum præfixit & statuit juxta legem: *pretia rerum ff. ad legem falcidiam Covarruv. lib. 3. varia. cap. 9. n. 5.* atqui neque lex, neque communis hominum æstimatio statuerunt, ut annua pensio 40, vel 30. vel 20, florenorum emeretur solis centum florenis: ergo &c. minor constat; est enim inauditum centum florenis jus ad pensionem annuam 20, 30. aut 40. florenorum ex lege vel communi consuetudine provinciae, aut urbis, in qua erat contractum fuisse comparatum: ergo &c.

Quod si hunc censum ex eaduntaxat parte, qua pensio solvenda pretium excedit, irritum fuisse, tuearis, exigere quidem Sempronius potuit integram pensionem, non computandam in sortem, eò quod vi contractus jus habeat ad pensionem, non secus ac emens fundum pretio inferiore ad percipiendos ex isto fructus facultatem possidet defectum tamen pretij censuarijs seu praxatoriam exercentibus restituere,

re,



re debeat, uti etiam detrimentum, quod ex eo non restituto censuarius passus fuerit. Prout defendunt Joan, Medina *de Restit. q. 15. dub. 4. S. sed pone. Lessius lib. 2. de just. cap. 22. dub. ultimo.*

10 Eiusdem contractus injustitia ulterius hac ratione probatur: omnes pensiones redditæ, & à Sempronio acceptæ ante solutionem 100. florenorum fuerunt creditò emptæ, & fide data de pretio: sed injustum est fide data, & creditò emere tales census: ergo. Minorem defendunt Navarr. *comment. de usuris. Eman. Rodriquez, Antonius Gomez, Rebellus 2. p. lib. 10. q. 5. n. 25. Salas tract. de censibus dub. 2. n. 3.*

Eadem minor probatur etiam ratione; si iniquum non est pensiones solvere pro pecunia postmodum recipienda, mutuatio pecuniæ reditus pareret: prob. possem dicere, ego tibi post annum vel plures, dabo mutuos centum florenos: interea autem tu mihi annuatim solvas pensiones 10. florenorum: Secundò omnis pensio incipit primùm currere à tempore celebrati contractus: ergo pro pecunia eo tempore soluta possunt primùm census exigi. Prob. ant. ex recepta praxi contractus censuarius non solet celebrari, nisi pecuniâ solutâ, ita, ut à tempore traditæ fortis census persolvi incipiant: ergo omnis pensio incipit primùm currere à tempore celebrati contractus &c. Tertiò

dilatatio persolvendæ fortis gravat in præsentem casu ipsum venditorem, seu societatem praxatoriam: ergo si transmittamus eundem valere, saltem emptor Sempronius obligatur, ut ex imposita pensione tantùm diminuat, quanti illud gravamen æstimabitur. Prob. ant. si ab initio fuisset fors statim persoluta, potuissent membra societatis praxatoriæ istâ comparare majorem copiam frumenti ad cereviam coquendam necessarij, vel aliam fructuosius exercendam suam societatem: Consequenter primi Enthimematis pariter constat: si enim censuarius venditor gravaret emptorem, ne pensio statim curreret, deberet ille hoc gravamen compensare diminutione fortis: ergo vicissim, si emptor dilatare persolutæ fortis venditorem gravat, etiam iste hoc gravamen ex diminutione pensionis debeat compensare.

Quartò: hac ratione posset jus accipiendi pensionem annuatim comparari omnino gratis, & sine omnibus impensis Sempronij, sed sumptibus ipsius censuarij, pensionibus scilicet à societate praxatoria ante solutionem fortis percepti: atqui hoc videtur injustum. Prob. Maj. ponamus, quòd annuatim solvantur 20. floreni, & relictâ solâ syngraphâ numeratio fortis differatur ad quinquennium; in hoc casu centum florenos postea persolutos recepit Sempronius



ab hac societate praxatoria sine omnibus omnino expensis suis: esgo &c. ex quo sequitur, quod solvens post lapsum duorum annorum jus istud non emat 100, florenis, sed 60, tantum quadraginta enim accepit ab ipso censuario, seu societate praxatoria.

Quintò: *Bulla Pij V. de censibus* expressè exigit, ut pecunia numeretur, ita ut juxta authores citatos apud Palaum *de censibus pu. 16. n. 8.* in foro interno, & externo ejusdem numeratio sit de essentia contractus hujus: ergo

ubi illa est recepta, sine numeratione fortis non subsistet talis contractus.

Ejusmodi ergo contractus censualis dilata solutione fortis celebratus, & quidem non exigente, sed potius invito, & gravato censuario ob fraudis, & usura presumptionem habendus in foro externo, ut nullus & suo valore destitutus. Neque prudenter aliquis judicare poterit bonam fidem ex parte Sempronij literati, & in jure versati censualista omni fraude remota intercessisse.

## S. II.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

*An quadraginta floreni primo anno ante persolutam sortem percepti, ut debitum è societate cum alijs praxatorie domus consortibus inita accipi, ac retineri à Sempronio possint?*

**S**ocietas prout in quadam materia particulari est inita, definitur à Bonacina, quod sit conventio duorum, vel plurium conferentium suam pecuniam, vel industriam, vel laborem, vel aliam rem pretio æstimabilem ad lucrum commune. Tamburinus autem in *expedita sua quadruplicis Juris expositione lib. 9. de contract. tract. 8. cap. 1.* dicit, eam esse contractum, seu conventionem duorum, vel plurium habilium, suam pecuniam,

operam, industriam, vel laborem pro aliqua negotiatione conferentium ad commune lucrum, itémque ad commune damnum, si fortè illud occurrat.

Conformiter huic definitioni, nec non regulis generalibus ad justitiam, & valorem hujus contractus juxta consensum Authorum octo conditiones sunt necessariae. 1. In eo est posita, ut omnes socij aliquid conferant. 2. Negotiatio ipsa debet esse honesta. 3.

Q 9

Ser -



Servanda est æqualitas in omnibus, in conferendo scilicet ab utroque socio. 4. Insuper necessarium est, ut collata pecunia stet periculo Domini, seu illius, qui eam contulit. 5. Ipsum lucrum pro quantitate partium collatarum dividendum erit. 6. Cum lucro dividenda pariter erunt damna. 7. Expensæ factæ debent pariter esse communes, seu æquè certè compensandæ. Denique non erunt ulla inhonesta, aut injusta pacta apponenda. His præmissis.

13 Dico Sempronium neutiquam posse ad finem anni justè acciperè quadraginta illos circiter florenos, si præcisè schedam quandam contulerat, obligans se illâ ad solvendo suo tempore centum florenos. Prob. quicumque societatem ineunt, ita ut ex hoc lucrum acquisitum recipere jure possint, debent aliquo modo ad illam concurrere, sive pecuniam, sive operam, industriam, instrumenta, vel materiam contribuendo: atqui Sempronius nihil horum contulit primo anno ad hanc societatem, ergo non iniit societatem, ut reportatum ab hac lucrum participare possit; major patet ex conditionibus superius ennumeratis, probaturque ulterius hoc medio. Qui nullo ex allatis modo concurrat, nullum habet titulum ad lucrum ex societate participandum, sed talis non potest aliquid ex illa accipere: ergo &c.

Confirmatur hæc major ulterius. Si unus ad societatem contulit centum florenos, alius vero duntaxat decem, ita ut neque aliud quidpiam, operam scilicet, materiam, vel instrumenta contulerit, ipsum lumen naturæ dicat, injustitiam committendam esse, si conferens centum non plus lucri referret, quàm conferens decem: ergo eodem lumine naturæ pariter clarum erit, injustitiam committi, si nihil omnino conferens ad societatem, ex hac reporteret aliquid lucri, imò tantum, quantum reportat, qui actu centum florenos ad societatem contulerat. Subsumo, atqui Sempronius pro primo anno nihil omnino contulit: ergo &c.

Prob. ant. subsumpti, tantummodo tradidit syngrapham, qua se obligaverat ad solvendum suo tempore centens florenos: ergo nihil pro illo anno contulit, ex quo lucrum recipere posset. Prob. ant. ipsa sola syngrapha est aliquid penitus sterile, instructivum, atque inhabile ad lucrum pro illo anno in societate faciendum: ergo si syngrapham solam contulit, nihil, ex quo lucrum reportari posset, contulit: at, prob. non serviebat ad emendam materiam coquendæ cerevisiæ necessariam: neque erat utilis ad solvenda salaria ministris in coquenda cerevisiâ occupatis: vel ad reparanda vasa ex longiore usu de-



detrita, aut ad ullum aliud conduxerat: ergo &c.

Conf. 2. Qui contulit centum florenos, ille se privavit occasione faciendi ex illis aliud lucrum: qui autem contulit solam syngrapham potuit suis centum florenis facere, & forsitan etiam fecit aliud quoddam lucrum: ergo si æqualem portionem lucri ex societate reportant ambo, divisio hujus non est facta pro quantitate collatarum partium: prob. conf. ambo acceperunt æqualem portionem lucri ex societate, & tamen ad hanc contulerunt inæqualiter: nam unus contulit centum florenos, & actualement abdicacionem juris, facultatisque aliquid lucrandi ex contributis centum florenis, alter autem neque centum florenos contulit, neque abdicacionem juris, & facultatis aliquid ex illis lucrandi, uti patet: sed hæc sunt vel maxime inæqualia, cum lucrum cessans sit pretio æstimabile, hoc autem contulerit suo modo unus, non itidem alter.

Conf. 3. Contractus leoninus dicitur, quando unus tantum sentit lucrum, & non damnum: reliqui vero etiam damnum: sed hoc fieret: prob. Sempronius sentiret lucrum & non damnum, eò quòd interea suis centum florenis poverit aliam negotiationem instituere: insuper portionem æqualem reliquis acciperet, ceteri autem licet in accipienda portione fuerint æquales, damnum tamen

quoddam ex eo fuerunt passi, quod suis centum florenis interea ad lucrum faciendum non potuerint uti: ergo &c.

Dices 1. Socij praxatorij potuerunt centum florenis creditore emere frumentum coquendæ cerevisiæ applicandum, & venditorem remittere finito anno ad Sempronium, ut ab hoc prafatum centum florenorum pretium recipiat: ergo jam contulit aliquid Sempronius ad societatem. R. si hæc omnia cum consensu sociorum & Sempronij, uti etiam venditoris contigerunt, fuisse syngrapham fructiferam: necdum tamen Sempronio competiturum esse jus ad æqualem cum ceteris centum florenorum contributoribus portionem lucri, eò quòd isti, uti probavimus, se aliquo privaverint, potestate scilicet utendi illo anno suis pecunijs ad aliud lucrum, non autem ipse Sempronius.

Ceterum, cum hæc non contigerint, necdum ostensum est, aliquid ex scheda hæc lucrum societati accrevisse. Dein vel deerant societati sufficientes pecuniæ ad illud frumentum comparandum, vel non? Si non deerant, nunquam consenserit in hoc societas tanquam sibi damnosum ob diminutionem lucri in plures partes dividendi sine ullo profus commodo. Si deerant sufficientes pecuniæ, & venditor credito societati dare voluit frum-

Q 9 2

men-



mentum, iterum non erat opus syngraphâ Sempronij, potuit enim ad illud debitum elapso anno solvendum se obligare societas, quam utique sibi præ Sempronio obligatam mavult frumenti venditor, & tunc non ita diminutæ ob exclusum Sempronium fuissent singulæ portiones dividendi lucri, consequenter adhuc superflua, & societati damnosa videtur fuisse Sempronij syngrapha.

15 Dices 2. Literæ censuales sunt frugifera, ac pretio comparantur: ergo &c. 2. disparitatem esse, quod illæ tribuant jus percipiendi annuatim certas, ac determinatas pensiones censuum ex alterius frugifera re percipiendos: ex altera parte probavimus, Sempronij syngrapham requisitam ad obtinendum lucrum utilitatem nequaquam societati adducere.

16 Dices 3. Etiam Sempronij syngrapha tribuit societati jus expendendi post annum à Sempronio centum florenos: ergo &c.

2. transf. ant. neg. conf. ut enim portionem ex hoc anno reportatis à societate lucris exposcere valeat, debuit Sempronius pro hoc anno quidpiam contulisse ad societatem, hoc autem non factum, licet postea exigatur, & solvatur prædicta summa à Sempronio,

non enim apparet, quomodo societas minus quid in suo annuo lucro haberet; si Sempronius schedam suam eidem non tradidisset, Sicut igitur ille, qui statim dat centum florenos, ex hoc non potest exigere aliquam portionem ex lucro prioris anni. Ita neque talis solutio 100. florenos post annum facienda potest partem ex lucro currentis exigere. Accedit, quod societas pecunijs Sempronij nequaquam indigeat, malitque illas ab ipso retineri, ne portiones lucri ob pluralitatem sociorum sint diminuendi. Accedit, quod etiam societas praxatoria accipiens schedam se obliget Sempronio, quod velit pro centum florenis ab illo post annum perfolvendis vicissim eidem annuatim perfolvere certam portionem lucri: ergo obligatio Sempronij ad solvendam suam pecuniam abunde compensatur hac reciproca societatis obligatione.

Ex hucusque allatis manet sufficienter probatum, Sempronium nullam cum reliquis membris societatem pro hoc anno contraxisse, carere consequenter omni jure ac titulo accipiendi propterea partem lucri ex dividenda per annum cerevisia ob-

tenti,




## §. III.

## Resolvitur tertium Quæsitum.

*An ex nullo alio titulo retinere hanc partem lucri Sempronius possit?*

- 17 **R**espondeo : si societas nullo ex metu compulsã in hoc pacto cum Sempronio ultrò consenserat, posse illam portionem ab hoc retineri ex titulo donationis. Ratio est, quòd absente metu præsumere possit, cætera societatis membra eam portionem Sempronio donare, eo ipso, quòd ultrò illam persolvant, licet sciant, nullum ex hac papyracea obliga-

tione lucrum in societatem pro illo anno redundare, ut scilicet hoc favore sibi affectum Sempronium efficiant, quem sciverunt sibi, & nocere & prodesse in suo officio posse. Dixi tamen si nullo metu compulsi consortes in hoc consenserint : metus enim tollit voluntarium, vel saltem minuit.



## CASUS XXIII.

*De alienatis ab uno ædibus pro indiviso cum alia possessis.*

**M**artino, & Annæ germanis liberis ex hæreditate paterna obvenerat inter alia, & quidem pro indiviso defuncti parentis domus, post aliquot tempus Maritus hæredis Annæ, quia volebat diutiùs in communiõne harum ædium persistere cum defuncti Martini uxore ac relicta filia, suum ad prædictas ædes jus venditione aut permutatione invitã & reclamante uxore defuncti Martini in alium transferre statuit.

Q. 3

Q. 1.